

## SOLUTIO :

817. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Præsumendum est hanc donationem factam esse *inter vivos* et non *mortis causa*. Ratio est, quia donatio facta ob merita præcedentia censeri debet facta *inter vivos* : donator enim præsumitur voluisse merita modo efficaciori compensare; donatio autem *inter vivos* est magis efficax. Porro donatio facta est propter merita ANNÆ : ergo... Insuper ad donationem *mortis causa* requiritur ut clare videatur fieri intuitu mortis, sive implicite sive explicite, v. g. per verba : *Tibi relinquo*; atqui in nostro casu hoc clare non apparet : ergo... In dubio enim utrum donatio fuerit *inter vivos* vel *mortis causa*, præsumi debet eam factam esse *inter vivos*, quia est modus donandi efficacior, ut dictum est. Nec refert quod facta fuerit a viro graviter decumbente, quia ad summum sequitur donationem factam esse a moriente, non vero quod facta fuerit *mortis causa*. *Elbel, n. 342.*

818. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* ANNA potuit, tuta conscientia, præfatam pecuniam sibi arrogare et retinere, saltem ante iudicis sententiam, nisi *legitimam* filiorum læserit, in quo casu reducenda foret pro rata excessus. Etenim, vi legitimæ donationis, dominium de uno in alium transfertur. Atqui hæc donatio fuit legitima : ergo... *Elbel, n. 345.*

819. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* PHILEMON revocare donationem non potuit, et proinde surdas aures, ut fecit, filiis deprecantibus præbere debuit, nisi ex parte donatio inofficiosa fuerit, seu filiorum *legitimam* læserit. Ratio est, quia hæc donatio est *inter vivos* ex dictis; atqui hujusmodi donatio libere facta et acceptata revocari nequit : ergo... Attamen ex Jure Gallico hæc donatio revocari posset, quia donationes inter conjuges sunt revocabiles ex *art. Cod. civ. 1096*. Secus esset, si de donatione *mortis causa* ageretur; quia ista donatio, sicut dispositio testamentaria, est semper ambulatoria, et usque ad ultimum halitum revocabilis. *Elbel, n. 344.*

## CASUS IX.

## CONDONATIO A MORIENTE FACTA.

*Et ab hærede denegata.*

GENNADIUS fratri suo HENRICO, mercatori, mille aureos mutuo gratuito ab biennium crediderat, quibus ab infaustissimo casu sublevaretur. Anno autem vix elapso, GENNADIUS, gravi morbo correptus, mox ad extremum vitæ periculum deducitur. HENRICUS, eum invisens, instantissime rogat ut debitum sibi remittere velit, et condonare. Cui GENNADIUS : « Ita, ait, debitum libenter condono tibi, et liberrime remitto, quia filio meo, utpote unico hæredi, satis provisum est. Cupio tamen, ut de hoc nihil quidpiam ulli mortalium dicas. » Defuncto autem GENNADIO, ecce filius ejus NESTOR reperit inter alia epistolam qua patruus, seu HENRICUS, fratri suo GENNADIO gratias agebat pro mille aureis, sibi ad biennium mutuo gratuito traditis. Hinc, elapso biennio, filius a patruo prædictam summam repetit. Obstupefactus HENRICUS renuit solvere, asserens debi-

tum ipsi fuisse a fratre suo condonatum. Verum, cum assertum probare non possit, a iudice ad solvendum condemnatur.

## HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An HENRICUS debitum solvere teneatur, sive ante, sive post iudicis sententiam?*

2<sup>o</sup> *An, facta solutione ex iudica sententia, ad occultam compensationem recurrere potuerit?*

## SOLUTIO :

820. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> HENRICUS non fuit obligatus ad debitum in conscientia solvendum, ante iudicis sententiam. Ratio perspicua est. Etenim, cum GENNADIUS ei debitum remiserit, et liberrime condonaverit, reipsa non est amplius debitor, et hoc ipso nihil amplius ex justitia restituere tenetur. Nec obstat quod nullo titulo condonationem probare valeat; defectus enim tituli externi jus acquisitum non destruit.

2<sup>o</sup> Lata iudicis sententia, HENRICUS tenetur *per accidens* ad debitum solvendum, quia, cum jus suum probare nequeat, tenetur se conformare sententiæ iudicis *formaliter justæ*, licet sit *materialiter injusta*, scilicet ratione obedientiæ, et ne aliis, qui condonationem ignorant, scandalum præbeat. *Elbel, n. 443.*

821. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Affirm.* Ratio jam satis liquet ex dictis. Etenim HENRICUS non erat amplius debitor GENNADII coram Deo, siquidem debiti remissionem obtinuerat. Ergo sententia iudicis fuit saltem *materialiter injusta*, et nulla, utpote fundata in falsa præsumptione facti particularis, scilicet debiti contracti, et nondum soluti, vel non remissi; atqui, ubi sententia iudicis est saltem *materialiter injusta*, ibi non datur obligatio parendi in conscientia : ergo HENRICUS injuste coactus fuit ad debitum solvendum; ergo quod injuste solvit coactus, repetere potest. NESTOR revera accepit id quod suum non erat, seu ad quod nullum jus habebat. Ergo ejus patruus nullam injuriam ei inferret, si pecuniam, quam injuste et invitatus solvit, tacite repeteret. Imo, si constaret filio de gratuita remissione a patre suo facta, ipse sponte acceptos mille aureos patruo refundere deberet. *Elbel, n. 444. — Reiffenstuel, etc.*

## CASUS X.

## DONATIO PARENTUM.

1<sup>o</sup> DRUSUS, tribus gaudens filiis, BENJAMINO præ aliis dilecto, præter quartam partem bonorum in testamento legatam, munera de manu ad manum notabilia, pecunia, chirographis, vel etiam sub ficto contractu mutui aut venditionis, erogat; quia, ait, dum vivit, dominus est bonorum suorum quæ industria et labore acquisivit. Nec putat in hoc peccare, quia aliis filiis bona sufficientia, quibus honeste vivant, relicturus est.

2<sup>o</sup> AUGUSTUS duos habet filios, unum, scilicet, egregiis dotibus conspicuum, alterum vero asperum, bibulum et prodigum. Præter tertiam partem bonorum, quam priori tribuit ipso testamento, eidem notabilia munera

elargitur, ipsi tamen enixe commendando ut postea fratri suo retribuatur, ipsi indigenti succurrendo.

3<sup>o</sup> GILBERTUS filio suo primogenito, præter quartam partem bonorum, in testamento consignatam, donat plerosque redditus prædiorum annuos, quibus res familiaris augeatur; quia, ait, intactam substantiam filiis relinquet, et de redditibus ad proprium libitum disponere potest.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An parentes peccent graviter contra justitiam et caritatem, si, præter partem bonorum ex lege disponibilem, aliquid notabile uni e filiis donent?*

2<sup>o</sup> *An filii, qui dona notabilia contra legis mentem a parentibus secreto acceperunt, ad restitutionem teneantur?*

3<sup>o</sup> *Quid ad singulos casus?*

SOLUTIO :

822. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ. Affirm. per se*, quia agunt contra legem, quæ gaudet omnibus conditionibus ad obligandum in foro conscientie requisitis. *S. Lig. et alii communiter.* — *Dixi per se*, quia aliquando parentes, qui gravi de causa donant aliquid amplius uni e filiis præter legis dispositionem, peccare non videntur. Tunc enim cessat finis legis, quæ non censetur velle attingere illos casus particulares, familie proficuos, nec bono communi nocivos. *Gousset, n. 194.*

823. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Affirm. per se.* Ratio patet ex dictis. Etenim, si parentes lædant justitiam, donationem illegitimam faciendo, filii etiam lædunt justitiam, donationem accipiendo. Porro ille qui lædit justitiam tenetur ad restitutionem: ergo... *Dixi per se*, quia exceptiones particulares gravi de causa admittendæ sunt, ut modo dictum est. Neque filii ad restitutionem obligandi sunt, si agatur de donationibus ordinariis quæ communiter a parentibus fieri solent, quia ipsi genitores a donis hujusmodi faciendis non impediuntur. Cæterum, post factum, mortuis donatoribus, caute agendum est a Confessario antequam restitutionem urgeat, quia donationes aliquando ex gravi ratione prorsus ignorata fieri potuerunt. Ad personarum igitur et familiarum circumstantias est præcipue attendendum.

824. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. 1<sup>o</sup>* Graviter erravit et peccavit Drusus, legis dispositiones adeo facile prætermittendo. Paterfamilias est quidem bonorum dominus, sed non ita ut leges, quæ statuunt bonorum distributionem inter hæredes necessarios, violare queat. Leges quippe illæ ut justæ haberi debent, et bono familiarum necessariæ. Secus enim impii parentes, cæco amore ducti, vel aversione impulsus, aliis filiis prætermisissis, uni vel pluribus plus æquo faverent, cum maximo familie detrimento.

2<sup>o</sup> AUGUSTUS, nedum de peccato et injustitia arguendus sit, videtur contra de prudentia et sapientia omnino laudandus: hac enim agendi ratione, filio dyscolo providet pro futuro, ita ut, postquam totam substantiam suam voraverit, adhuc panem, quo in miseria sustentetur, inveniat. Ergo AUGUSTUS non est damnandus.

3<sup>o</sup> Quid tandem de GILBERTO? Res dubia et ardua est, atque periculis plena. Concedunt quidem patremfamilias ad libitum posse disponere de redditibus omnino superfluis, si familia his non indigeat, quia intactum remanet patrimonium; verum hoc, etiam illæsa justitia, variis scatet incommodis, ut nemo non videt. Attamen post factum non facile damnandus GILBERTUS, si reapse in prædictis limitibus constiterit; sed monendus sedulo est, ut ab abusu et præsertim ab acceptione personarum seminationeque discordiarum inter fratres summopere præcaveat. *V. Comp. n. 825-826.*

## CASUS XI.

JUVENIS LAUREATUS.

*Donatio quando referenda.*

PHOTINUS, homo sat dives, EUGENIO, filio suo, qui insigni cum plausu curriculum studiorum persolverat, et variis præmiis, pro merito, singulis annis laureatus erat, pecuniam tempore vacationum liberaliter admodum erogavit, in lusus honestos aliasve recreationes impendendam, ut ille hac via magis ac magis ad studia prosequenda stimularetur. Verum, ubi, de functo utroque parente, ad hæreditatis divisionem ventum est, alii hæredes, longum catalogum prædictarum donationum recensentes, voluerunt illas in partem hæreditatis EUGENIO debitæ computari, præsertim cum illi in domo paterna existentes, pro re domestica et pane lucrando, strenue laborarint, dum EUGENIUS contra nihil contulerit, imo et rem familiarem consumpserit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An EUGENIUS teneatur ad præfatas donationes in hæreditatem communem referendas, vel etiam quidquid pro ipso ad peregranda studia a patre solutum est?*

2<sup>o</sup> *Si contraxisset tempore studiorum, in luxu, ludo et potu, debita quæ a patre solvenda fuissent, an hæc referre deberet?*

3<sup>o</sup> *An referri debeat pecunia ad filium ex militia redimendum adhibita?*

4<sup>o</sup> *An filius referre debeat expensas a patre tenuis fortunæ factas, pro ipso ad Sacerdotium evehendo?*

SOLUTIO :

825. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ. Negative.* Ratio est, quia pater liberrime illas expensas fecit et pecuniam donavit; quæ autem adeo libere donavit, præsertim in remunerationem studiorum et laborum, censetur omnino donasse, nec proinde computari debent in portionem ordinariam hæreditatis. Consonat etiam Jus utrumque tum *Romanum* tum *Gallicum*, ex quo minime referendæ sunt variæ expensæ a donatore factæ alicujus hæredis gratia, in alimenta, vestes, munera consueta, ad educationem, artem ad-

discendam et similia, *S. Lig. n. 955.* — *Elbel, n. 340.* — *Code civil, art. 852 et seq.*

826. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirmative.* Ratio est, quia non est præsumendum patrem voluisse hujusmodi debita gratuito compensare cum notabili detrimento aliorum filiorum, sed ea, interim, necessitate compulsus, solvisse, cum intentione ut suo tempore in portionem hæreditariam computarentur. Pater enim non censetur voluisse pecuniam concedere ad varios abusus et in proprii filii detrimentum. Secus tamen, si expensæ illæ non essent magni momenti. *Lacroix, n. 807.* — *Layman.* — *Elbel, ibid.*

827. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Distinguendum est. *Affirmo* quidem, si filius ille in propriam utilitatem redimatur, quia id æquitas postulare videtur. *Nego* autem, quoties filius redimitur in utilitatem patris, v. g. infirmi, senis, pauperis, aut familiæ sustentandæ; quia familia, quæ commodum percipit, onus etiam ferre debet. *Gousset. in Cod. civ., art. 852.*

828. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst. Nego, generatim loquendo,* quia expensæ illæ cedunt in bonum commune familiæ, nempe in ejus honorem, commodum, etc.; et gratuito a parentibus hæc donata censentur. *S. Lig. n. 955.* Referri autem debet in hæreditatis divisionem patrimonium a patre datum filio ad sacros Ordines suscipiendos, quia æquiparari potest doti filiæ, quæ necessario referenda est. Secus enim *legitima* filiorum læderetur, et hoc esset contra mentem Conc. quod patrimonium exigit ad *titulum et statum Clerici stabilem.* *S. Lig. n. 956.*

## CASUS

### DE TESTAMENTIS ET LEGATIS

#### SEU

*De testamentis validis et invalidis; — de testamentis inter conjuges; — de legatis piis et profanis; — de fidei-commissis.*

#### CASUS I.

##### DE VALORE TESTAMENTI 1<sup>o</sup>.

GERONTIUS, senex, carens hæredibus necessariis, se sentiens gravi morbo correptum, et brevi ad extrema perducendum, jubet advocari Parochum, medicum et notarium cum testibus. Advolat citius Parochus, cui, coram pluribus mulieribus, moribundus brevissime ad calamum dicit se velle PAULINUM, amicum, participem facere hæreditatis cum EUGENIO, unico hærede naturali. Mox adest notarius cum requisitis testibus et futuris hæredibus; sed ecce, dum interrogat moribundum, vox huic faucibus hæsit. Parocho tamen poscenti num ratum haberet quod modo dixerat, nutu capitis annuit, et extemplo vivis valedicit. EUGENIUS autem juridice impugnat testamenti validitatem, ut totam accipiat hæreditatem.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An valeat testamentum GERONTII in primo casu, et PAULINUS hæreditatem ejus retinere possit, saltem ante judicis sententiam?*

2<sup>o</sup> *Si habeat secreto aliquam pecuniam GERONTII, an eam servare posset, sive ante sive post sententiam judicis circa hæreditatem?*

SOLUTIO :

829. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Invalidum prorsus est GERONTII testamentum de jure positivo, quia in eo deficiunt plures conditiones, quæ lege ad testamentum solemne requiruntur. Etenim ex omni jure testator ipsemet, viva voce saltem, declarare debet, coram requisitis testibus, talem esse suam ultimam voluntatem; nec mulieres in testimonium admittuntur. *Ex Jure Romano*, in eo casu 8 testes testamentum subscribentes requiruntur, cum moribundus ipse subscribere nequeat; secus 7 sufficerent. *Ex Jure autem Gallico* absolute requiritur ut ipse testator declaret voluntatem suam de verbo ad verbum, coram uno notario scribente et 4 testibus, vel coram 2 notariis, uno scribente, et 2 testibus. Tum notarii, tum etiam testes subscribere debent. Non satis est igitur ut æger interrogatus, affirmative, sive verbo sive nutu capitis respondeat. *Cod. civ., art. 972.* — *Gousset, Cod. civ. commenté, ibid.*